

130

cundâ id putavit, quia milites unum in oppidum haud deducti fuerunt, sed in disjunctos agros, partim publicos, partim a Cæsare antea possessos sparsi. Tertiam tamen deductionem militarium Coloniarum fuisse aperte constat ex oratione, quam occiso Cæsare ad populum habuit Brutus apud Appian. lib. II. Civil. *In ipsa, inquit, Italiâ nihil commeritâ non jure belli, sed more latrocinii, veteribus possessoribus ademerunt agros, domos, sepulchra, fana, quæ ne exteris quidem devictis adimimus, contenti decimis fructuum. At isti (Sulla nempe & Cæsar) diviserunt vobis agros vestrorum popularium, auspiciis ipsius Cæsaris sociorum expeditionis Gallicæ, qui vos votis pro victoria vestra nuncupatis, prosequuti sunt, eoque vos deduxerunt sub signis instructos militariter, neque satis pacatos, & parum securos. Has vero Colonias de nomine conditoris Julias appellatas, ex Patriculo, & Josepho contra Appionem docet laudatus Erius Scriptor, cui, quantum in hac explicatione debeam, non est quod prædicem. In hac tertiâ agrorum divisione, militarem Coloniam Pisaurum a C. Cæsare deductam exitimo. Enimvero e re Cæsaris erat, Urbem situ opportunam, bene fidâ carinis itatione conspicuam, viribus, opibusque pollentem, in partes suas trahere, suisque militibus frequentare. Id enim fuit Cæsaris in Colonias deducendis consilium (verbis ipsius Norisii, qui illud observavit, uti juvat) ut vel in viciniam fundata subitario sibi præsidio essent, si qua contra ipsum seditio Romæ excitaretur, vel in iis locis collocata per que Romam iter erat, ne Senatus ab iis, qui extra Italiam in Provinciis magistratum gerebant, auxiliares suppetias pro libertate restituenda sperare posset.*

Scio non solum publica quædam Augusti opera Julia audivisse, verum etiam leges, imo ipsas Colonias, ita ut aliquæ a C. Cæsare deductæ, ne de conditore ambigeretur, Julia Paterna appellatæ sint. Ac si quis hoc eo diceret, ut ex Julio cognomine Pisaurum ab Augusto Coloniam deductam vellet, is certe quantum ego intelligere possum, longe conjecturâ aberraret. Ex Colonias enim ab Augusto deductis ex solum Julia dici potuerunt, quæ statim post initum Triumviratum, ex lege Triumvirali deductæ fuerunt: non enim deinceps, si Campanæ Colonie supplementum excipias, quod devicto Pompejo, Lepidoque exauctorato adscripsit, de quo V. Mazoch. Cap. I. § 4. p. 37, alias Colonias per Italiam deduxit Augustus, nisi post pugnam Actiacam; quas tamen Augustas dictas fuisse, con-